

Excidium vere horribile

Abbatiae Sti Maximini prope Treviros,
conscriptum ab oculari teste Alexandro Henn,
ejusdem coenobii Religioso et postea Abbate.

(Continuatio. Cfr. An. V. tom. 4. pg. 463—471.)

O si christianissimus Galliarum rex ex alta quadam specie intueri posset tot congregationes religiosas in tam vastis miseriarum incendiis suspirantes, totis, credo, commoveretur visceribus! Durae aures, quae haec inflexae audiunt; duriores oculi, qui vident immoti. Et sane jam diu commotus esset rex, si adire, si coram affari licuisset; verum cum et calumniantium improbis in Treviros dicteriis aures et ministrorum offensorum satellitibus regia ubique obsiderentur atria, ne quâ ad regem pateret aditus: mittuntur Lutetiam Parisiorum litterae supplices, sed negliguntur. Patronorum imploratur auxilium, politice excusant; destinantur legati, non admittuntur. Denique primarii in aula ministri, cujus nutu arbitrioque haec omnia designari non ignorabatur, humiliter pulsantur fores... Ad aequissimas querelas infimasque legatorum preces nil aliud respondit quam peremptorium illud tum Gallis omnibus tum maxime huic violento ministro familiare diverbium: Rex vult (le roi le veut). Cui pro appendice illud superaddere placuit. supervacaneum fore, urbi plane eversae solatii quicquam impendere... Pro inauditam barbariem... Acquid antichristianum hoc responsum est aliud quam insultare attrito, prostratum calcare, in jacentem etiam desaevire atque cum cruentis istis lanistis inclamare: Repete ictum, ferrum recipe? At ne belluae quidem generosiores hoc faciunt:

Lupi et turpes instant morientibus ursae.

Post fortunarum paene omnium direptionem, post tam enormem pecuniae vim numeratam, immunes se fore speraverant patres Maximiniani; omnibus istis tamen ne hilum quidem commoti ab iisdem corradendae iterum pecuniae initium facere constituunt. Imperavit igitur ceu rebus adhuc integris nova iterum iterumque tributa; recusantibus ferrum et ignem interminantur. Obstupescunt ad inexpectatam denuntiationem patres et, cum effugii aliud nihil occurreret, exactores humiliter adeunt, obnixè supplicant, desisterent tandem aliquando ab improba hac congregationis oppressione, parcerent spoliatis, in exilium ejectis, numerant profusas jam tum atque in thesauros regio illatas enormes pecuniae summas; denique illud malorum omnium maximum, templi coenobiique excidium, etiam atque etiam per Deum immortalē considerarent, nec eos ulterius insectari pergerent, quibus per anteriora tributa oppignoratis fere omnibus proventibus ipsimet non ignorarent, superesse nihil, nisi panem quotidianum.

Audiebant haec acquissima religiosorum hominum lamenta iustissimasque preces more suo huc et illuc cursitando ministri Gallici, anilium naeniarum instar habebant videbantque maxime, quod eversi monasterii mentionem ad movendam commiserationem facere libuisset; constare etiamnum suos monasterio reditus, irent proinde et non tam acceptas abs Gallis clades quam persolvendas sine mora pecunias numerarent, ni extremum belli rigorem quantocius experiri vellent; sic velle regem, sic abs se juberi. Disceditur sub hac verborum minarumque tempestate utrimque; sed cum elapsis aliquot diebus post fremebundum hoc tonitru aureus, quem exspectabant, non subsequeretur imber, repentinum ex minaci dudum nube fulmen erupit et die alias Christianis omnibus perquam serena solemnitatis ter adorandae sanctissimae Trinitatis, quae fecit nobiscum misericordiam suam, hi immisericordiae viri, ut cujus patris essent filii demonstrarent, immiti prorsus consilio efferos suos satellites atrocesque exactores ad urbanam Maximiniam refugii domum ablegant cum mandato, ut nisi pro Martio Aprilique mille trecentos et viginti imperiales continuo patres numerarent, reperta in caveis vina, in granariis frumenta extraherent atque vilissimo per urbem pretio distrahenda quaestori regio adjudicarent. Dum ancipiti hoc discrimine tantisper consultant patres, extrahuntur interim ab Intendentis thesaurario duo melioris notae vini plaustra nummisque persolvuntur, adjunctis minis, ni propediem in contributionem consentiant, cetera vina frumentaue ea pretii vilitate impensarumque immunitate esse distrahenda, ut subductis expensis vix dimidius divenditarum mercium valor in contributionis computum sit deducendus. Cum has inter angustias conductas vietorum operas currulemque apparatus in procinctu stare viderent patres, duplicato huic damno praeveniendum rati fatalique necessitate constricti vina ipsimet sua distrahere satius iudicant, quo et extorta tributa persolvere et de iisdem vitae necessaria sibi comparare liceret. Quod tamen, utpote grande beneficium, ut a quaestore regio impetrarent, diu laborandum enixeque supplicandum fuit.

Castrum erat trium horarum itinere ab Augusta Trevirorum Metropoli distans, Velleium nomine. ¹⁾ Contraxerat illud Dagobertus Magnus, Francorum Rex, in privatas regiae venationis delicias; sed sanctiori dein consilio religiosae S. Maximini familiae attribuerat,

¹⁾ Fell, ein Dorf mit der maximinischen Burgruine, 3 St. nördlich von Trier. Der zeitliche Abt von St. Maximin war Herr der Grafschaft Fell und der Burgrafschaft Freudenburg. Der Titel des Abtes von St. Maximin lautete folgendermassen: Reverendissimus et graciosus Dominus N. N., Dei et ap. stolicae sedis gratia imperialis et exempti monasterii Sancti Maximini prope Treviros Abbas, Comitatus Fellensis et Burgraviatus Freudenbergensis Dominus temporalis, Statuum Treverensium et Luxemburgensium Primas. —

perdurante regis pii donativo in haec usque tempora penes S. Maximini coenobium. Sed etiam in illam juris Maximiniani arcem furor Francorum exarsit. Cum enim jam semestri spatio eandem cum intolerabili subditorum onere insedissent Galli, Vignorius his revocatis ex urbe dimittit equites, qui comportatis ab agricolis undique aridis ramentis eandem inflammarent ac diruerent. Ita eodem omnino tempore in saevum illud necessitatis imperium redigebantur patres, ut nec ex urbe excedere nec in urbe quiete degere liceret. Constitutum nimirum Vignorio erat, non ex urbe duntaxat, sed etiam e patria religiosos omnes eliminare; credo, ne irreligiosus ejus spiritus vel simplici patrum obtutu everberaretur.

Quod in monasticos ordines odium vel inter prima praelaturae suae exordia non obscure significare visus est, cum publicas super epulas (ut erat oris penitus effrenati) de religiosorum hominum apud Treviros copia conquestus omnes se utpote reipublicae noxios ac de proditione suspectos exturbaturum urbe interminaretur, unis exceptis R. R. Patribus Societatis Jesu et Cappucinis, quos tamen posteriores, religiosissimos populoque gratissimos ex merito patres, ab eodem vesano spiritu ob unicum ecclesiae immunitatis observantiam urbe magna ex parte ejectos vidimus fraterneque doluimus, cum et admode Rdo. Patri Guardiano furcas perquam ferociter interminaretur, quod refugienti ad ecclesiae asylum militi panis frustulum a suis offerri permisisset. Quid? quod nec ipsum religiosorum habitum nequam hic spiritus tolerare potuerit! Pestem hujus ipsum habe, amice lector, cui, quod refero, contigit.

Advenerat Mediomatricum ex urbe vir religiosus, ex superiore Germania oriundus, qui apud Trevirorum gubernatorem, comitem de Vignory, sacellani munere fungeretur. Ubi Trevirim appulit, palatium adit, admitti postulat; admittitur, exponit adventus sui causam; sed vix torvo Vignorii vultu dignatus repulsam patitur, repulsaque causam aliam nullam esse ab eodem audit, quam quod monasticum hunc habitum, utpote sibi suspectum, exosum habeat; proinde istum deponeret, si manere vellet aut saltem mutaret. Mutavit ille aliquantulum ex indulto, ut ajebat, sibi concesso et Vignorio non ingratus fuit.

Cum patres Maximiniani in Martium Aprilemque mille trecentos viginti imperiales vix congesserant ex annonae sibi ad victum amictumque prorsus necessaria, etiamnum in mensem Majum octingentos octuaginta imperiales solvendo, nec tantum trepidi audiunt, sed etiam ab irato armatoque milite undecunque conquisitos mutuati pecunia solvere compelluntur; nec sic quidem ab tributorum onere requiem habituri, adeo ut de Gallo-

Treviricis his sanguisugis vaticinari videatur Propheta regius:
»Devorant plebem suam sicut escam panis!«

Aureum hunc tot centenorum imperialium censum cum evenisse sibi adeo feliciter viderent Galli, non jam amplius singulos singulorum mensium bolos, sed totas trimestris auri massas sitiabant. Euge! sub decurrentis Augusti urbis Intendens Nollangius vigore regii, ut praetendebatur, mandati clerum omnem denuo cogit, rescriptum ex aula regia eminus ostendit, compellat de conferendis quantocius subsidiis; velle ac jubere regem, ut tredecim infra dies trium simul mensium tributa, Junii scilicet, Julii et Augusti, quaestori suo numerarent; si qui termino praefixo defuerint, non defuturum profecto, qui juxta diplomatis regii tenorem omni belli rigore in morosos animadverteret. Atque haec elocutus non expectato responso repente ex medio sese proripuit.

Impossibilis profecto erat tum reliquo clero tum exuli potissimum Maximiniana congregati imperata tot simul mensium tributorum enormitas, quae pro uno S. Maximini coenobio ad duo millia sexcentos quadraginta imperiales excurrabant.

Religiosorum patrum moram in persolvendis statuto tempore exactionibus moram, non, uti revera est, impotentiam interpretatus Nollangius postridie calendas Septembris executionis fatale classicum canit; advocat rapacissimorum peditum sub non dissimili decurione manipulum, quos nulla nisi propriae libidinis adstrictos lege ad Maximiniani refugii domum armatos immittit, prius tamen monitos, ut reverentiam, honestatem, pudorem omnem exuerent atque eo sese insolentiae schemate in hoc primum militaris executionis theatrum inferrent, quo et ceteri timere et hi regis decretis parere addicerent. Executores hi Maximiniani cum nullo honestatis, religionis nec christiani nominis respectu ea insolentiae impudentiaeque gallicae per integrum triduum dedere argumenta, ut omnem exuisse humanitatem atque in ferinam degenerasse rabiem viderentur. Hi, verbo accipe, amice lector, vorant potant, vomunt, volutantur propriis in sordibus; post vomitum iterum in pocula redeunt, cantillant, cachinnantur, blasphemant, vociferantur, discurrunt, rapiunt, capiunt, insaniunt, debacchantur. Quid ego hic os illud foedum ac barbarum, procax et ad patrum convitia semper armatum, illamque blasphemiarum seriem referam, quarum meminisse pollutio est? quid intolerandas personis Deo sacratis irrogatas injurias commemorem, cum non defuerit ex impio hoc bacchantium choro, qui religiosum sacerdotem, christianae eos modestiae commonentem, inhonesto primum jurgio, tum infami colapho, demum sceleratis pedibus veluti abjectissimum e trivio mancipium exciperet! Quibus inauditis triduanis insolentiis demum fracti, patres gubernatorem primum, dein quaestorem supplices adeunt, injurias militum enarrant, propter Deum christi-

anamque religionem obtestantur, ne viros religiosos exagitari diutius indignis usque adeo modis patiatur, ac vel tandem respirare permittat. Sed surdo tamdiu fabulam proferunt, donec non tam solvendi animo (quod exhaustis impossibile) quam tantillam ab his quietem consequendi desiderio omnem se moturos lapidem adpromitterent, quo in numerando tributo satisfacere regio decreto possint. Atque sub hac expectatione militaris executio ad decimum Septembris ac demum usque ad finem mensis propagata (dilatata) est. Quem fatalem rebus nostris terminum, dum praeteritorum recordatione squalidi, praesentium dolorum gravitate consternati, futurorum metu anxii, veluti inter sacrum et saxum constituti omnique humano auxilio destituti trepide exspectamus, inter haec curarum taedia September voto se nostro citius evolvit, cum quaestor (Intendentem appellant), nummos sollicitatos comparere nusquam conspicatus seque delusum male arbitratus, fremere enimvero ac ultionem meditari, quam et pridie Nonas Octobris ad aliorum terrorem exulibus S. Maximini religiosis secundis jam vicibus infligere per militarem executionem fuit visum. Deligitur ergo ex universa equitum cohorte insolentissimorum scurrarum globus, qui eo usque ad discretionem, ut per antiphrasin vocant Galli, commessando pergraecandoque domum nostram insideant, dum militari hac importunitate a nobis, ipsorum opinione invitis, ast revera impotentibus, pecunias extorquerent. Enimvero matutini sub primas noctis tenebras dubia adhuc luce intra domus limen furtim illapsi gallicae mox discretionis praecclarum specimen edere, vociferari, tumultuari et concussis ferociter armis ferculo falernaque omne genus deposcere, ni confestim adsint, vim intentare obstantiumque januarum effractionem superbe comminari. Nos contra nil hiscere, sed placide respondere, rogare, postulata benigne pro facultate nostra promittere, ac dum tantillum patientiae afferant, nihil negare.

At impastis his cerberis aures jam omnes in fauces defluerant manusque oculatas se habere dictitabant, quae crederent, quod tangerent. Visum est igitur latrantibus monstris offam, panem scilicet et vinum et conquisita undique mensarum analecta tantisper objicere, dum alia parantur. Verum leonibus muscam aut culicem elephantis! His enim dicto citius in ventris abyssum demersis caeco iterum fremitu gurgiliones nostri per aedes strepere, carnes! carnes! inclamare et quia fames et mora bilem in nasum conjiciunt, conglobati in culinam irrupere raptosque bullientibus a lebetibus etiamnum crudos petasones canum instar vorare, tum potitare ac dein iterum iterumque carnes deposcere ac simul ore hiante in avidam alvum demittere, nec tamen satiari, sed ad instar formidolosi illius apud veteres manduci dehiscente late rictu vastisque maxillis in alios aliosque cibos catillantibus continue dentes

pruriebant, plane ut non abs re vereremur, ne Galli hi nepotes majores inter suos Thessalum illum apud Nasonem Erysichthonem Tritanum numerarent, adeo:

Accipiunt poscuntque simul, cibus omnis in illis
Causa cibi est semperque locus fit inanis edendo,
Inque epulis epulas quaerunt.

Betylum cum Saturno vocaturos diceres, si, quae involveret objiceretque, Berecynthia non defuisset.

(Continuabitur.)

Der Benedictiner- und Cistercienser-Orden auf der culturhistorischen Ausstellung in Steyr.

Von P. Florian Kinnast O. S. B. in Admont.

Das 19. Jahrhundert wird einst in der Geschichte »das Jahrhundert der Ausstellungen« genannt werden. Mag man auch gegen das System der Ausstellungen nicht ohne Grund so Manches einwenden, so gibt es doch wieder viele Momente, welche für die Berechtigung solcher Ausstellungen sprechen; bieten sie doch dem Wissensdrange der Menschheit die Möglichkeit, viele Gegenstände an einem Orte beisammen zu sehen, welche schwer oder gar nicht in ihren einzelnen Aufbewahrungsorten aufgesucht werden könnten.

Ein erfreulicher Zug unserer Zeit ist das zunehmende Interesse für das Alte, für Gegenstände und Culturleben längst entschwundener Jahrhunderte — für culturhistorische Ausstellungen!

Eine solche war mit der vom 2. August bis 30. September l. J. währenden elektrischen, Gewerbe- und Forst-Industrie-Ausstellung in Stadt Steyr verbunden, in jener althehrwürdigen, historisch so bedeutungsreichen Stadt

»am Verein der Enns und Steyr,
wo erschallt der Hämmer Klang«

seit Jahrhunderten die Eisenstadt genannt, wo das norische Erz verarbeitet wird vom einfachen Taschenmesser bis zum sinnreichst construirten Gewehre des Soldaten!

Wie viel des Sehenswerthen diese mit ebenso grosser Sachkenntniss wie glücklicher Auswahl ins Leben gerufene culturhistorische Ausstellung dem Besucher geboten — erhellt